

1387

C O D I C E S

1388

Novi, quem *Innocentius IV.* jam 1253. Sanctis adscripserat.

III. fol. 132. p. 2. *Aduerte in nomine christi amen, quod subsequencia notata sunt de adam. Adam hic Anglus mihi videtur Magister Parisinus, de quo Bulaeus in Hist. Univ. T. I. p. 149. Tannerus in Bibl. Brit. Hib. et cujus Scripta in Magistrum Sentent. et Quaestiones ordinarias facile primi Academiae Vindob. Conditores Henricus de Hassia et Henr. de Oyta secum e Gallia deferre potuerunt. Ineunt Excerpta nostra prorsus miscella: Studium sacre scripture est meritorium vite eterne &c.*

IV. fol. 164. p. 2. *In nomine christi de summa, aduerte.* Difficile est, inter tot Summas dispicere, quam innuat Noster, qui incipit: *Cause errorum sunt 8. Primus est ignorancia mensura et capacitatis intellectus humani &c.*

V. fol. 188. *In christi nomine Amen. Sequentia notata sunt D. de Oyta. Henrici nempe Parisius evocati ab Alberto Duce a. 1379. ad docendas apud nos sacras Literas, de quo plura P. I. Scriptt. Univ. Vien. p. 58. Notatorum initium: Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est &c.*

DCXVII.

U. 451 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 166. f. per duas columnas multis quidem compendis, sed luculente et nitide perscriptus, fronte deaurata et pictura-

ta, coloribusque per totum illustratus titulo quidem nullo insignitur, sed ad calcem ita habet: *Explicit istud opus de causa dei contra pelagium et de uirtute causarum (et de) uirtute dei cause causarum perscriptum parisius. anno millesimo. CCC^{mo}. XLV^o. domini ihesu christi.* Habemus itaque Opus, de quo jam Vol. I. P. 2. col. 1387. egimus, *Thomae Bradwardini*, quem in *Brauardinum, Bragwardinum &c.* corrumperet Librarii, *Cicestriensis Angli*, et quidem Auctore etiam dum vivo descriptum; annum enim ille 1349. supremum censuit creatus tunc *Cantuar. Archiepiscopus.* At vero, quid *Libro* ejus I. factum sit, ignoro; nam praefens Codex distractus a socio *Librum II.* auspicatur his verbis: *Traetatu siquidem premissorum buc usque continuo progressoque in longius quam putauit &c.* quae exacte usque ad *Libri III.* et ultimi finem cum unica Editione *London.* ab *Henr. Savilio* 1618. f. curata ita conspirant, ut plane eadem Clausula, quam supra adtuli, in *Savillii* Codice fuerit illo solum discrimine, quod pro *Parisiis* et anno 1345. *London* et annus 1344. exhibeatur, adeoque, nisi locorum obesset distantia, noster ex illo descriptus videri possit.

DCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 452 XIV. Folior. 128. f. per duas columnas exaratus omnes III. *Libros* praedicti Operis complectebatur,